

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Gloria bona f  
cum fontibus proximo et primo

Si quis tamen ad gloriam assequendam laborat,  
talem se efficiat qualis uult haberi.  
Quod si ostentacionem inani et ficto sermone  
uel uultu stabilem se gloriam assequi opinatur,  
uehementer errat.

Vera enim gloria radices agit,  
ficta autem omnia celeriter tanquam flosculi decidunt,  
neque simulatum quicquam potest esse diuturnum.

Ibidem (Tullius in rethorica).

Si quis tamen ad gloriam assequendam laborat,  
talem se efficiat qualis uult haberi.  
Quod si ostentacione inani et ficto sermone  
uel uultu stabilem se gloriam consequi posse opinatur,  
uehementer errat.  
Vera enim gloria radices agit,  
ficta autem omnia celeriter tanquam flosculi decidunt,  
nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, III.C.3 (J. Holmberg ed., p.67, ll.16-21).

Quamquam praeclare Socrates hanc viam  
ad gloriam proximam et quasi compendiarium dicebat esse,  
si quis id ageret,  
ut qualis haberi vellet, talis esset.  
Quod si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone  
sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur,  
vehementer errant.  
Vera gloria radices agit atque etiam propagatur,  
ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt,  
nec simulatum potest quicquam esse diuturnum.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 2.43 (M. Winterbottom ed., pp.86-7, ll.22-27, 1-3).